

**HARVARD UNIVERSITY
MEDIEVAL STUDIES**

Sample Latin Exams

Examinations in Latin are offered twice a year. Below are three passages similar in length and difficulty to the passage that will appear on the exam. If you can translate one of these passages with reasonable accuracy in approximately 90 minutes, then you are ready to take the exam. Your translations should stick to the text as closely as possible; avoid overly free or literary translations.

During the exam itself, you must bring and use a single printed dictionary; electronic dictionaries are not allowed. While taking these practice exams, get used to working with your printed dictionary of choice.

Sample exam I (Bernard of Clairvaux)

SERMO LXXXIII. *Qualiter anima, quantumcunque vitiis corrupta, adhuc per amorem castum et sanctum potest redire ad similitudinem sponsi, id est Christi.*

1. Quantum quidem regularis hora permisit, quam nobis constituimus ad loquendum, triduum hoc in demonstranda Verbi animaeque affinitate expensum est. Quae utilitas in omni labore isto? Nempe haec. Docuimus omnem animam, licet oneratam peccatis, vitiis irretitam, captam illecebris, exsilio captivam, corpore carceratam, luto haerentem, infixam limo, affixam membris, confixam suris, distentam negotiis, contractam timoribus, afflictam doloribus, erroribus vagam, sollicitudinibus anxiam, suspicionibus inquietam, et postremo advenam in terra inimicorum, juxta prophetae vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his qui in inferno sunt [Baruch 3:11]; licet, inquam, sic damnatam, et sic desperatam, docuimus tamen hanc in sese posse advertere, non modo unde respirare in spem veniae, in spem misericordiae queat; sed etiam unde audeat aspirare ad nuptias Verbi, cum Deo inire foedus societatis non trepidet, suave amoris jugum cum Rege ducere angelorum non vereatur. Quid enim non tute audeat apud eum, cujus se insignem cernit imagine, illustrem similitudine novit? quid, inquam, vereatur de majestate, cui de origine fiducia datur? Tantum est ut curet naturae ingenuitatem vitae honestate servare, imo caeleste decus, quod sibi originaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumque venustare et decorare coloribus.

2. Utquid enim dormitet industria? Grande profecto in nobis donum naturae ipsa est: quae si minus suas exsequatur partes, nonne quod reliquum habet natura in nobis, totum turbabitur, totum quasi quadam vetustatis operietur rubigine? Id quidem injuria auctori. Et utique ad hoc auctor ipse Deus divinae insigne generositatis perpetuo voluit in anima conservari, ut semper haec in sese ex Verbo habeat, quo admoneatur semper, aut stare cum Verbo, aut redire, si mota fuerit.

Sample exam II (Johannes Trithemius)

Anno Manegoldi¹ abbatis 3, qui fuit dominicae natiuitatis (sicut diximus) 1160, S. Hildegardis uirgo Christi, monasterii diui confessoris Ruperti, iuxta Bingios² abbatissa, per spiritum sanctum coacta multis in locis uerbum Dei hominibus personaliter annunciauit. Inter caetera uero loca quae sua praesentia sanctificauit, etiam ad Hirsaugiam³ uenit, quam abbas Manegoldus et conuentus fratrum cum inaestimabili gaudio, tanquam angelum Domini de coelo uenientem susceperunt. At illa post orationem consuetam in medio fratrum sedens, os suum in Christi nomine aperuit, et uerbum quod Spiritus Sanctus illi commiserat, tan feruenter, sobrie, ac prudenter audientibus intimaui, ut omnes in stuporem uerterentur. Mira res accidit. Dum illa foris loqueretur uerbum, Spiritus Sanctus in cordibus audientum intus operabur effectum; tantaque omnes gratia compunctionis perfudit, ut lachrymas fundere ex intimo affectu prae dulcedine mentis cogerebantur. Inter caetera dulcissimi sermonis sui colloquia, fratribus praedixit, quoniam nisi caute insidias hostis antiqui praecauerent, in breui temporis spacio tribulationem aliquam experirentur. Quod eodem anno accidit in dissensione illa perniciosa quae inter abbatem Manegoldum et conuentum, diabolo procurante, fuit exorta, de qua suo loco dicemus. Omnes simul in his quae communitatem concernebant, de occultis et manifestis defectibus per spiritum sanctum edocta redarguit, et quae in eorum conuersione seu conuersione diuinae maiestati displicerent, prudentissima ratione ostendit. Inde progressa monasterium Zuuifaltense⁴ nostri ordinis adiit, et tam monialibus quam monachis ibidem similiter quae Spiritus sanctus ei mandauerat, annunciauit. In multis quoque Sueviae⁵ monasteriis et locis, uerbum Domini attestacione miraculorum populis aperuit, et suis admonitionibus plures ab iniquitate auertit.

¹ = Manegold

² = Bingen

³ = Hirsau

⁴ = Zwiefalten

⁵ = Swabia

Sample exam III (Hugh of St. Victor)

CAP. III. De duobus parietibus Ecclesiae, clericis et laicis.

Universitas autem haec duos ordines complectitur, laicos et clericos, quasi duo latera corporis unius. Quasi enim ad sinistram sunt laici qui vitae praesentis necessitati inserviunt.

Non ita dico ad sinistram quemadmodum illi ad sinistram statuentur, quibus dicitur: *Ite, maledicti, in ignem aeternum* (Matth. XXV). Absit a me ut bonos laicos ibi statuere praesumam! Nam qui boni erunt sive laici sive clerici ibi non erunt; et qui mali erunt sive laici sive clerici ibi erunt.

Non ergo ad illam sinistram laicos Christianos, qui veri Christiani sunt, constituo; sed ad illam sinistram de qua dicitur: *In dextera ejus longaevitae vitae; in sinistra autem ejus divitiae et gloria* (Prov. III). Quod enim ad sinistram in corpore est de corpore est et bonum est quamvis optimum non sit.

Laici ergo Christiani qui terrena et terrenaevitae necessaria tractant, pars corporis Christi sinistra sunt. Clerici vero quoniam ea quae ad spiritualem vitam pertinent dispensant, quasi dextera pars sunt corporis Christi.

Sed constat his duabus partibus totum corpus Christi quod est universa Ecclesia. Laicus interpretatur popularis; Graece enim *λαός* Latine dicitur populus. Unde et *βασιλεύς* basileus rex dictus putatur; quasi *βάσις λαοῦ*, basis laoy, id est sustentamentum populi. Clericus dicitur a *κλήρος* Graece, quod Latine interpretatum sortem sonat, sive quod ipse sorte sit electus a Deo ad servitium Dei, sive quod ipse Deus sors illius sit; et quod portionem aliam in terra habere non debeat; clericus nisi Deum et ea quae ad partem Dei spectant, cui statutum est decimis et oblationibus quae Deo offeruntur sustentari. Laicis ergo Christianis fidelibus terrena possidere conceditur, Clericis vero spiritualia tantum committuntur, quemadmodum olim in illo populo priore caeterae tribus quae typum laicorum praeferabant; portiones in haereditate acceperunt. Sola tribus Levi quae ecclesiasticos figurabat, decimis et oblationibus et sacrificiorum victimis pascebatur.